



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XI. Matrimonia canonice contracta, non esse leuitate aliqua dissoluenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

ro dicit se incognitam, & ita nos consuluisti, vtrum alii possit nubere: taliter respondemus, quod cum in decretis habetur expressum, quod si vir dixerit quod vxorem suam cognouerit, & mulier negauerit, viri standum est veritati. Vnde præfato viro qui se dicit præfatam puellam cognouisse, fides est habenda, si id iuramento firmauerit: & si fuerit proxima duodecimo anno, vel circa duodecimum annum, & cum suo consensu & voluntate parentum desponsata & benedicta fuerit, & cognita ab eodem viro, separari non debebunt, præsertim cum parentes ipsam legitimæ ætatis faterentur. Si vero puella infra nubilem ætatem & atati non proxima, alicui desponsata fuerit, benedicta atque traducta, non licet alicui de consanguinitate illius, cui desponsata fuerit, eam ducere in vxorem: nec fas est eidem sponso, de consanguinitate puellæ sibi aliquam copulare.

Viri veritati
standum v-
bi sit.27. Quæst.
Si despon.

CAP. XI.

*Idem Norwicensi episcopo, & ** archidiaconis.*

Lator præsentium VV. parochianus vester sua nobis assertionem monstrauit quod cum in facie ecclesiæ quamdam mulierem viduam, A. nomine, legitime desponsasset, & carnali copula subsecuta, inter eos scandalum est subortum, cuius occasione prædictus vir ei debitum coniugale subtraxit: consanguinei dictæ mulieris hoc molestum habentes, coram vobis quæstionem mouerunt, proponentes quod mulierem inuitam & renitentem, nec ætatis aptæ matrimonio existentem, duxisset vxorem. Et quoniam idem vir vitam, sicut nobis proponitur, cupiebat agere dyscolam, deinde vtriusque studio interueniente, fuerunt minus rationabiliter separati. Nolentes igitur vt matrimonia canonice contracta, leuitate quadam dissoluantur, discretionem vestram per A. S. mandamus, quatenus si vobis constiterit, prædictos virum & mulierem per iudicium ecclesiæ non fuisse rationabiliter separatos, ecclesiamque deceptam, ipsos contradictione & appellatione cessante, faciatis sicut virum & vxorem in simul permanere.

CAP. XII. *Idem Pan. archiepiscopo.*

De illis autem, qui præfatis iuramento promittunt se